

est corruptius in mare procul aufertur. Aliud quoque proculdubio in causa est uentorum undique liberi & aperti flatus non tamen ex motuum uallibus quasi per fistulas irruentium: ex quo fit ut sicut sunt minus uio lenti: ita reddant undique aerem puriorem. Necnon maris falsedo quum sit natura calidior: & minus humida temperiem gignit equabili orem. In his uero paludibus loca praeter caetera saluberrima ea sunt ubi fundum ex creta: non ex ceno constat. Vt Clodia. Amorianum. Boreanum. Salubritatis paludium nullum certius testimonium: quam frequens senectus: Vt uix reperiatur apud aliam Italiae regionem plures plenioresque annis senes. Quae sumus superius fluminum hostia has paludes harena repleuisse. Non est ab re illud quoque memorare: hanc urbem: Sicuti sudor: & industria mortalium aedificauit: Sic iisdem studiis conseruandam. Enimuero pari diligentia aduertendum: ne rebus in hanc ciuitatem extrinsecus aduectis: atque per incuriam in aquam deiectis paludibus: fiat iniuria. Longe etenim plura importantur: quam exportentur. Itaque cauendum ne plus stramenti aquis iniiciatur quam potens sit fluxus refluxusque in pelagus euomere. Corrumper enim ea necesse est: Et aerem infici. Itaque maiores ad eam rem multa remedia legibus instituerunt. Incedant minores oportet maiorum institutis: Si perpetuam hanc urbem esse uolunt. Caeterum in his stagnis extitere ab ipso quo uada quaedam multis in locis sparsa: aquis extantia: uariis interuallis solidiora: eminentioraque ambitu parua ad piscatorias salinarias uel casas sustinendas. Quibus duobus praecipue quaestibus: mortales qui tum eas incolebant uictitabant. Strauere deinde ea latius amplioraque reddidere mortalium manus ad commodiorem usum in Insularum quasi speciem. De his Cassiodorus in illa de Venetiis epistola scribit his uerbis. Eas non natura protulit: sed hominum cura fundauit: Naturam dicit non protulisse: Quoniam qua tempestate ad ipsas est profectus: centum siquidem aut circiter post Athilam annis: eas reuifit. Constrauerant iam amplioresque reddiderant mortalium manus ad maiora etiam aedificia sustinenda. Neque negauerim alia habitacula fuisse ad uoluptatem praecipue: quae latioribus spatiis peterent similia continenti. Ea siquidem Baianis poeta uillis comparauit. Satis enim uerissimile: tum altinates ciues: tum patauinos sparsa habuisse domicilia per ea loca: ad quae poscentibus anni temporibus animi causa comearent.